

qui militiam etiam mortis impendit? Africanus non inter  
 Capitolii aras, sed inter Annibalis acies triumphum invenit.  
 Quid mihi veterum exempla profertis? Odi ritus Neronum.  
 Quid dicam bimestres imperatores, et terminos regum cum  
 exordiis copulatos? Aut forte illud est novum, barbaros suis  
 excessisse finibus? Numquid etiam illi christiani fuerunt,  
 quorum miserabili novoque exemplo, alter captivus imperator,  
 sub altero captivus orbis, fefellisse quae victoriam promit-  
 tebant, suas caeremonias prodiderunt? Numquid et tunc non  
 erat ara Victoriae? Poenitet lapsus, et vetusta canities  
 pudendi sanguinis traxit ruborem. Non erubesco cum toto  
 orbe longaeva converti. Verum certe est, quia nulla aetas  
 ad perdiscendum sera est. Erubescat senectus, quae emen-  
 dare se non potest. Non annorum canities est laudanda,  
 sed morum. Nullus pudor est, ad meliora transire. Hoc  
 solum habebam commune cum barbaris, quia Deum antea  
 nesciebam. Sacrificium vestrum ritus est bestiarum cruore  
 respergi. Quod in mortuis pecudibus quaeritis Dei voces?  
 Venite, et discite in terris coelestem militiam: hic vivimus,  
 et illic militamus. Coeli mysterium doceat me Deus ipse  
 qui condidit, non homo, qui seipsum ignoravit. Cui magis  
 de Deo, quam Deo credam? Quomodo possum vobis credere,  
 qui fatemini vos ignorare quod colitis? Uno, inquit, itinere  
 non potest perveniri ad tam grande secretum. Quod vos  
 ignoratis, id nos Dei voce cognovimus. Et quod vos suspi-  
 cionibus quaeritis, nos ex ipsa sapientia Dei et veritate  
 compertum habemus. Non congruunt igitur vestra nobiscum.  
 Vos pacem diis vestris, ab imperatoribus obsecratis, nos  
 ipsis imperatoribus a Christo pacem rogamus. Vos manuum  
 strarum adoratis opera, nos injuriam ducimus omne quod  
 fieri potest, Deum putari. Non vult se Deus in lapidibus  
 coli. Denique etiam ipsi philosophi vestri ista riserunt. Quod  
 si vos ideo Christum Deum negatis; quia illum mortuum;  
 esse non creditis: (nescitis enim quod mors illa carnis fuerit,